2529
15

ΔΥΑ'Σ
PARADOXORUM CHRONOLOGICORUM MAXIME ILLUSTRIUM,

De

VERA MUNDI CONDITI EPOCHA ET GENUINO NATALI ABRAHAMI ANNO,

Ex Fundamentis Biblicis & Hiſtoricis diligenter eruta,

&

Dirigente Temporis Autore & Conſervatore unico,

D. T. O. M.

In Florentiſsima Wittebergenſi Academia,

Sub Præsidio

DN. AMBROSII RHODII, PHIL. ET MEDIC. D. Mathematumque ſuperiorum P.P. celeberrimi, Præceptoris ac Promotoris ſui maximoperè colendi,

Ad Diſputandum publicè propoſita

à

M. CHRISTIANO REINHARTO
Wittebergenſi, Alum. Elect. Sax.

Ipſo die Æquinoctiali Martii XI. Horis à 7. matutinis,

In Auditorio Majore.

LIPSIUS Lib. 1. Var. Lect. cap. 10.

Non eſt unius hominis aut ingenii vidiſſe omnia, & nulla in parte animi aciem inflexiſſe; noſtræ quoque & poſterorum diligentiæ aliquid relictum eſt.

WITTEBERGÆ
E Typographeo Salomonis Auerbachii,
ANNO
Æræ Chriſtianæ ſecundùm Dionyſium vulgatæ
cIɔ Iɔc XXV.

VIRIS

MAGNIFICO, REVERENDIS ADMODUM, CLARISſimis, exquiſitâ Doctrinâ, Pietate ſpectatâ, zeloq; Religionis orthodoxæ ac ſincerioris minimè ſimulato Præcellentiſſimis,

SS. Theologiæ Doctoribus eximiis, ejuſdemquè in inclyta hac Academia noſtra P. P. famigeratiſſimis,

Dn. JACOBO MARTINI, Academiæ p.t. RECTORI & Facultatis Decano Spectatiſſimo, Alumnorumque Electoralium Inſpectori graviſſimo,

Dn. FRIDERICO BALDUINO, Paſtori & Superintendenti in Electoratu Saxonico Generali, Synedrii Eccleſiaſtici Antiſtiti ſupremo, & Facultatis Theologicæ Seniori meritiſſimo,

Dn. BALTHASARI MEISNERO, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſori honoratiſſimo, & Alumnorum una Electoralium Inſpectori prædigniſſimo,

VIRO ITIDEM

Excellentiſſimo Clariſſimoq;

Dn. M. ERASMO SCHMIDIO, Græcæ Literaturæ & Mathem. Infer. P. P. ſolenniſſimo, & Alumnorum ſimiliter Electoralium Ἐφόρῳ fideliſſimo.

Dnn. Patronis, Præceptoribus, Fautoribus ac Promotoribus meis, quovis obſervantiæ cultu æternum venerandis,

POSITIONES HASCE MEAS CHRONOLOGICAS

In Mentis gratæ μνημόσυνον debitæque obſervantiæ τεκμήριον

D. D. D.

M. CHRISTIANUS REINHARTUS.

ΘΕΌΣ! ΘΕΌΣ!

PRÆLOQUIUM.

QUOD alias vulgatum circumfertur Subtilis illius Subtilitatum ſive Pa-
rentis ſive Profeſſoris SCALIGERI Dicterium, vix jocularę, ſed Exerc. 52.
admodum grave, Nos nihil ſcire: idem vel maximè ac primariò quaſi
ratione convenire Scientiæ Chronologicæ modis videtur omnibus. Cum
enim χρόνος propter ſuum, quâ ut πολυτελέστατον ἀνάλωμα Laërt. in Vita Theoph.
& Naturæ quidam theſaurus precioſiſſimus claret, nobiliſſimam dignitatem, pro-
pitiam ſuam, quam nobis ſoboles de ſe duas generoſiſſimas, ex Menandri aſſertione,
Veritatem dico & Sapientiam, progignendo præbet, ſuaviſſimam commoditatem; Gell. lib. XII.
evidentiſſimè cenſetur ἀγαθῶν τῶν· quæ τῶν καλῶν nomen ſibi vendicant: Ubique, Noct. Attic.
juxta nobile iſtud PLATONIS Divini enunciatum, ius etiam legitimo jure ac- cap. II.
cenſetur rebus, quæ εὑρεῖν καὶ λαβεῖν χαλεπώτεραι exiſtunt. Talis quippe
Doctrina illius ob nimiam, quam alit, ſubtilitatem eſt abſtruſa, ardua & obſcura,
tumq; ob variam opinionum, quibus involvitur atq; proponitur, varietatem perplexa &
intricata, ut tractatoribus ejus uſu nimium ſæpè vereq; veniat, quod illis, qui in cœ-
no hærent, dum pedem alterum, quo ſeſe expediant, tollere nituntur, altius alte-
rum figunt, ut idem ille Subtilitatum Magiſter alibi accommodatè loquitur. Etenim Exercit. 180.
ut ipſa τοῦ χρόνου eſſentia, forma, quidditas non attingatur, de qua ſubtiliter po- Sect. 2.
tius diſputamus quam verè, illeq; Patrum anguſtiſſimus AUGUSTINUS nec in-
ſitè nec ineptè alicubi exclamat. In Tempore vivimus, & quid Tempus ſit,
ignoramus; ut præciſæ ipſius quantitatis & magnitudinis non tranſitoria, ve-
rum magnificior atq; ſolertior conſtitutio, quæ ferme eſt impoſſibilis, aut certè validi
exiſtit tum operis tum oneris, non ponderetur; ut perpetua ejusdem ſucceſſio atq;
continuatio, quæ à præſtantiſſimis ad unum omnibus Philoſophis ſemper pote admiran-
da quàm rimanda candidè eſt judicata, prætereatur: Conſideretur tantùm certa ali-
qua iſtius ſive Radix ſive Principium ſive Epoche ſive Æra, à qua inſignem ob e-
ventus cujuſpiam illuſtrioris claritatem, Annorum ſupputatio ſeu porro ſeu retro de-
ducatur. Illa propter longiſſimâ termini ἐφ᾽ ὃ ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀφ᾽ οὗ
diſtantiam planè eſt dubia atq; incerta, ita quidem ut in hac firmiter determinanda
Autores graviſſimi & Chronologi acutiſſimi in partes maximè diſſentientes eq; dia-
metro repugnantes abeant, unam eandemq; rei alicujus Epocham aliis ab hoc, aliis
ab altero directè contrario Temporis momento derivantibus. Operosâ res probatione
penitus non eſt indiga: Manifeſtarium id unicuivis evadere poteſt, Penetralia Chro-
nologica vel obiter ſaltem inſpicienti. Duæ ſunt principes Epochæ: Mundi creati
una, reparati altera. Utraq; eſt ambigua, nec Tempori uni & eidem à Chronologis
omnibus alligata. Nam quod attinet priorem, alii eam figunt in Veris, alii in Au-
tumni exordio, alii adhuc aliàs: Quod concernit poſteriorem, CHRISTUM non-
nulli, & plerique quidem Chriſtianorum, in Decembre, nonnulli in Septembre, non-

nali Menſe alio natum acriter contendunt. Atq; hinc quivis illibenter minimè concedit, ſi in ulla aliqua re, certè hic Παράδοξα plurima occurrere, de quibus meritò dubitari queat, cui parti calculus rectè & verè adjici debeat, cùm Sententiæ neutri nec Propugnatores deſint eruditi, nec tela rationum valida: imò & cogitari, quòd ea tutiùs fortaſſis indeciſa in medio relinquantur, quàm cum concomitante proprio tædio & naſcente quandoq; inde aliorum odio, ſollicitiore indagine eruantur & ſtabiliantur. Utut autem hæc ſeſe habeant; interim cùm aliàs omnes incenſâ voluntate flagrantiq; deſiderio ad rerum pulcherrimarum & ſuaviſſimarum, cum utilitate quamvis vel nulla vel exigua ſaltem conjunctarum, cognitionem, ex

Lib. I. Metaph. c. I.

Peripateticorum Magiſtri ARISTOTELIS effato, noſtropte nutu Naturæq; inſtinctu non tàm ferimur quàm rapiamur: Ideò nos quoq; pro tempore ſub Divinis Auſpiciis pulverem DISCEPTATIONUM CHRONOLOGICARUM eruditiſſimum attingemus, eq; illarum latifundio eas tantùm Quæſtiones ſeligemus, quæ duarum anteà memoratarum illuſtriorum Epocharum priorem indagent ac firment, ſuâq; tractatione tùm ſpectatiſſimè ſint jucundæ, tùm utilitatibus omnigenis ubertim circumfluæ, præſertim ad pleniorem ac veriorem Calculi Chronologici concinnationem ſummè requiſitæ, adq; cognitionem Biblicam ac Theologicam ſolidiorem maximè neceſſariæ; poſteriorem occaſione aliâ, volente DEO, conſideraturi. Ac proinde duo præcipuè nunc movere lubet: I. In quod Anni Tempus vera Epochæ Mundanæ πῆξις incidat? II. Quo Anno ætatis Tharæ natus ſit verè Abrahamus?

Lib. III. Metaph. c. I.

Cumq; docente rurſus rei Literariæ aquilâ, ARISTOTELE, Rectè dubitare tanquam initium ſit ſapientiæ; & ſicut eſt in protrito eq; via media petito Veriverbio, aliquid ſemper nihilo præſtet; in Magnis Voluiſſe quoq; ſufficiat: Propterea pro qualicunq; ſcientiæ noſtræ modulo de his omnibus non ſubtiliter ſane, verùm utiliter magè diſquiremus, ita ut controverſiarum harum enucleandarum non tàm curioſi, quàm ſtudioſi fuiſſe videamur. Quin & hæc ipſa, quoniam, ut anteà notatum, diverſimodè aliàs à diverſis propugnari ſolent, atq; à nobis pro libertate, quâ fruimur, Philoſophica & veritatis ſtudioſa, non ſecundùm receptam hodiè inter pleroſq; rerum harum Scriptores Sententiam tractabuntur; ſub ΠΑΡΑΔΌΞΩΝ Titulo ſingula proponere, atq; ſic pro veritate rectius excutienda diſcuſſioni modeſtæ ſubmittere placet. Quod igitur DEUS clementer fortunet, ſit

PARADOXUM I.

Mundus non Autumnali, ſed Vernali tempeſtate eſt conditus.

I.

Mundus conditus Tempore aliquo Cardinali,

QVemadmodum in naturali 12. Eclipticæ Signorum, quæ Sol annuatim percurrit, ſerie determinanda, initium ex Aſtronomorum omnium conſenſu conſtituitur in uno aliquo 4. Punctorum Cardinalium, quòd ea & à cæteris Eclipticæ Partibus quibusvis manifeſtiùs diſcrepent, & dignitate quoque ſuâ præemi-

eminentiam facilè obtineant: Ita quoque primum creatarum rerum omnium principium, in quo & Aſtrorum & Naturæ totius curſus exordia ſua ſumpſit, refertur à non nemine vel ad Solſtitium quodpiam vel ad Æquinoctium, cùm terminis his Motus Solaris concludatur, & omne ejusdem initium ab hujusmodi termino aliquo convenienter deducatur. *Calviſ. in Iſag. c. 34. p. m. 136. 2. f.*

II. Ut autem ordinis iſta prærogativa non defertur alterutri Punctorum Tropicorum, quoniam in iis Sol ad Declinationem Maximam progreſſus, eandem poſteà, cum Φαινομένοις inde dependentibus univerſis, ad Dies aliquot ſenſibiliter non mutat: Sic etiam qui Mundum in Solſtitio vel Æſtivo vel Brumali conditum ſtatuat, nemo facilè reperitur; plerîq; τὴν ξιν ejusdem in altero Æquinoctiorum, Verno vel Autumnali figendam eſſe contendunt. Eoq; Æquinoctiali.

III. *Gerhardus* quidem *Mercator*, Mathematicus ille Excellentiſſimus, ante Annos circiter 36. Æram Mundi *ipſi Æſtati Soluq; in ♌e conſtitutioni* alligavit: Secutus fortaſſis hac in parte conſuetudinem vetuſtam *Ægyptiorum*, qui, teſte *Solino*, ex doctrina ſuorum Sacerdotum, Mundi Natalem illud judicârunt tempus, ubi Sol ingreſſus ♌em Ortus Sirios excitaret, Amnisque propulſo omni fluore maximâ vi erumperet; atque propterea ab Exortu Sirii Cosmico Annum etiam ſuum inchoârunt. Verùm cùm hæc ipſius Sententia non tantùm nullos vel admodùm paucos habeat Patronos, ſed & ipſi Scripturæ veritati validè contradicat; ipſa per ſe corruit atq; in fumos abit. Opinio Mercatoris præſcinditur. *In Polyhiſt. c. 45. p. m. 233.*

IV. Etſi verò Mundum Æquinoctiorum tempore productum eſſe, extra omnem dubitationis aleam apud univerſos poſitum ſit: Cui tamen è duobus Æquinoctio, num Verno an Autumnâli, τῆξις illa Κόσμου ἐκτισμένου indubiè affigenda veniat, magna adhuc inter Chronologos Controverſia agitatur, Sententiam utramque Viris multis pariter & eruditis acerrimè propugnantibus. Æquinoctium nō unum omnibus placet.

V. Nam ex parte una Theologorum & Chronologorum pars non contemnenda, *Euſebius, Athanaſius, Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Auguſtinus, Damaſcenus, Iſidorus, Beda*, &c. cum recentioribus *Luthero, Abrahamo Bucholcero, Heinrico Buntingo, Luca Oſiandro, Ægidio Hunnio, Thomæ Lydyato*, aliisq; pluribus, Mundum in Vere à Deo creatum eſſe ſtatuunt: Quibus conſentiunt plurimi quoque Gentilium Poëtarum, Philoſophorum & Aſtronomo- Alii Vernum eligunt; *Auguſt. Quæſt. 106. ſuper V. & N. Teſtam. Oſiander in cap. 7. Geneſ. Hunnius in Quæſt. ſup. c. 1. Geneſ. Tomo III. p. m. 1435.*

Lydiat in Tract. de var. Annor. formis capp. 1. & 2.

nomorum, ut *Lucretius Lib. V.*, cujus verba inferiùs in *Thesi XXXI.* enumerabuntur, & *Virgilius ille Maro*, Scientiæ omnis peritiſſimus, *Georgicorum II.* ita canens:

Non alios primâ creſcentis origine Mundi
Illuxiſſe dies, aliumvè habuiſſe tenorem
Crediderim: Ver illud erat: Ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hauſere, &c.

Alii Autumnale.

VI. Ex adverſo *Judæi ipſorumq; Rabbini* ראש השנה ſeu caput Anni, Menſe Tiſri celebrant, & Mundum in Autumno conditum eſſe aſſeverant: Quorum Sententiæ tùm primo Eccleſiæ naſcentis tempore ſubſcripſerunt pleriq; Scriptores *Græci*, ut *Joſephus, Cedrenus, Nicephorus, Clemens*, &c. tùm hoc noſtro tempore patrocinantur Chriſtiani Chronologi non pauci, & inter eos nominatim Illuſtriſſimus Vir *Joſephus Scaliger, in Opere de Temporum Emendatione*, ob multiplicem eruditionis ſolidæ copiam & incomparabilem ingenii ſolertis induſtriam commendatiſſimo, ita fortaſſis edoctus à Rabbinis doctioribus, cum quibus non infrequenter fuit verſatus, ad quorum etiam Tradita Placitaq; nimiùm ſæpè provocat; quem poſteà ſecuti ſunt *Scultetus, Calviſius ipſe in Iſagoge cap. 34, & Origanus in Ephem. Introductione Par. I. cap. 1. pag. 7.*

Calviſ. in Proœm. Iſag. judicium.

VII. In hoc igitur Sententiarum divortio, ubi ſi calculorum judicio ſtandum ſit, Sectatores ferè, ut apparet, & copia & doctrinâ ingeniiq; acrimonia pares deprehenduntur, perinde forſan exiſtere videri poteſt, quocunq; ſane Menſe ortum fuiſſe Mundum quiſpiam ſentiat: Veruntamen in Calculo Chronologiæ accuratiore cùm certum aliquem terminum præfigi neceſſe ſit, à quo Supputatio Annorum continuè deducatur, cujus etiam adminiculo Anni quicunq;, ex continuo ordine particulatim accepti, rectè inter ſe comparari queant; ideo alterutra ex duabus Sententia, cui unicè & abſq; titubatione ubiq; inſiſtatur, neceſſario eſt eligenda.

Certitudo rei propoſitæ eſt neceſſaria.

VIII. Hæc ipſa autem electio non ſaltem maxima cum difficultate eſt conjuncta, ſed etiam planè videtur hodie præcluſa, & Sententia ſimpliciter poſterior, à *Calviſio Scaligeroq;* propugnata, amplectenda, quoniam ea, ſicut ipſe de eadem *Calviſius* proteſtatur, *argumentis evidentibus ex S. Scripturis, antiquiſſimorum autoritatibus, & conje-*

Pag. m. 138, 3. m. Iſag.

ctura

ctura probabili deſumptu nititur, cui contradicere velle magna temeritas videtur: *Illi verò* (ut ipſe ulteriùs ſubjicit) *qui contrariam Sententiam defendunt, neq; ulla Scripturæ teſtimonia habent, neq; veterum Scriptorum auctoritatem, ſed nudis quibuſdam conjecturis nituntur, adeoq; hariolantur potiùs quàm Chronologiam ſcribunt*: Maximè cùm & Calviſii veſtigia hoc tempore omnes fermè Chronologi eruditiores unanimiter premant.

Sententia de Mundi in Autumno creatione videtur canoniſata.

IX. Sed quamvis ob ſententiam Calviſianam inter omnes ita receptiſſimam is, qui contrarium hodie cum *antiquioribus Patribus, Theologis atq; Chronologis* aſſerere, & Mundi creationem ad Vernale Tempus retrahere ſatagat, nil niſi [illegible] temerè fovere cenſeri queat: *Salva tamen omnibus illis Chriſtianis viris debita ſua auctoritate, ac nobis integra pace*, ut dicamus, quod res eſt, quoniam *Calviſius* ſententiam ſuæ contrariam plus quam abſurdam dictitat, & rigidiuſculis nimiùm verbis ac manifeſtè Ironicis exagitat, meritiſſimè profectò nec inutiliter inquiſitionem inſtituere licet, num etiam Sententia prior *Athanaſii, Ambroſii, Auguſtini, Lutheri, Bunting* &c. tam abſurda, quam proclamatur, reverà exiſtat? annon potiùs poſteriore, *Græcorum, Rabbinorum*, & eos ſequentium, multò veriſimilior, Scripturæ propior, & Naturæ convenientior ſit dicenda?

De qua tum non immeritò dubitatur.

X. Et ſanè ſi accuratiùs rem penſitare velimus, fateri cogimur, *opinionem Scaligeri & Calviſii*, utut etiam a quibuſdam videatur dicaturque divinis Scripturis ac Doctrinæ Eccleſiæ orthodoxæ conſentanea, in receſſu non poſſe exhibere id, quod primo acceſſu promittere conatur, ſed ex uno atque altero S. Scripturæ Loco minus dextrè accepto detortam, Doctrinæ in Eccleſia Chriſtiana nunc uſitatæ contrariam, conjecturis potius quam demonſtrationibus ſuperſtructam, & merè Judaicam ſeu lubricam eſſe: *Contrariam vero D. Auguſtini & B. Lutheri ſententiam* vero unicè congruam, ideoque ab omnibus æquiſſimo jure ſuſcipiendam ac retinendam eſſe. Cujus aſſertionis noſtræ non conjectationes dubias & probabiles, ſed *Rationes claras ſat firmasq;*, ex S. Scriptura ipſaq; Natura omnes extructas, *apponimus 6. ſequentes.*

Ideoq; Mundus in Vere conditus aſſeritur, ob Motivas ſex.

XI. PRIMAM derivamus *ex Anni forma, ab Iſraëlitica Gente à Moſis temporibus usq; ad poſtremos ipſorum Prophetas ante* CHRISTUM *obſervata*. Hæc, *Scaligero & Calviſio* non diffitentibus, à Menſe אָבִיב Abib, h. e. *Spicarum ſeu Novorum*, ut *Lutherus* explicat, primo, qui deinde à Nehe-

I. Annus Iſraeliticus à Vere incepit.

Exodi 12, 2. & c. 13, 4.

Nehemia poſt Babylonicam captivitatem appellatus eſt Chaldaico
1. *Reg.* 6, 1. & nomine נִיסָן Niſan, incepit, ordineq́ue continuo per Menſem ſe-
38. & c. 8, 2. cundum זִו Siv, ulterius per ſeptimum אֵתָנִים Ethanim, atque octa-
vum בּוּל Bul (Tot namq́ue duntaxat Menſes ante Babylonicam ca-
ptivitatem in Sacris Literis reperiuntur, tàm numeris quàm nominibus ſuis expreſsè diſtincti: Reliqui octo numeris tantùm, non nominibus habentur inſigniti) proceſſit: idque ex ſanctiſſimo ipſius DEI effato ac teſtimonio, in citatis nunc Locis manifeſto.

Unde texitur Demonſtratio. XII. *Quæcunq; igitur Anni ratio à DEO ipſo profecta, & aliquoties repetita atq; inculcata, in Populo DEI perpetuò viguit; ea utiq; eſt omnium optima, ideoq; Naturæ convenientiſſima, atq; ſic ab ipſo Mundi exordio deducta*: Talis eſt hæc noſtra propoſita: Ergò. *Ratio conſecutionis* facilè patet. Præterquam enim quòd omnis ordinatio divina bona ſit ac laudabilis: (*Pſal.* 111, 3.) Populus certè Iſraëlis priſcus, à Patriarchis fide, ſapientiâ induſtriâquè ſpectatiſſimis deſcendens, peculiariter à DEO electus, quo illuſtrior, ſapientior atque intelligentior, melioribusq́ue ac juſtioribus Ceremoniis Legibusq́ue inſtructus Populus, *ipſo aſſeverante Moſe*, nuſpiam unquam extitit; (*Deuter.* 4, 8.) cùm juxta *receptum ubiq; Dicterium*, apta ſemper & concinna temporum obſervatio Populum Rempub.que arguat ſapientem, non poterat non uti optimâ Anni diſpoſitione, curſui videlicet Naturæ corporumq́ue cœleſtium Motibus accommodatiſſimâ, atque ab eodem cum ipſis principio continuè numeratâ, vereq́ue hoc modo naturali. Hujuſmodi namq́ue ſolam abſolutè dici & eſſe optimam, nemo facilè negaverit.

Confirmatio ulterior ponitur. XIII. *Minor* aperta fit ex Dictis anteà productis & Hiſtoria Biblica univerſa, ubi ſemper Anni Judaici Menſes, ab Æquinoctio Verno computati, uſurpantur & inſinuantur, ita ut ne unicus quidem Locus ſive in Pentateucho ſive in tota Scriptura S. nominari queat, in quo primus Menſis ab Autumno numeratus appareat: Quin potius iis ipſis etiam in Locis, quibus Annorum Sabbathicorum & Jubilæorum (quos tamen ab Autumno incepiſſe, extra omnē eſt dubitationis aleam) celebrandorum ratio deſcribitur, Menſis, in quo indictio illorum publica facienda erat, non primus, ſed ſeptimus ubique appellatur. Manifeſtè nimirum inde quoq́ue convincitur, nec principium nec finem Anni veri & Naturalis in Autumnales iſtas Feſtivitates cecidiſſe, ſed labentis illius Menſes tantùm 6. in-

tegros

tegros tunc elapſos eſſe, ſeptimoque currente ad integram Anni completionem totum quaſi adhuc Semeſtre ſuperfuiſſe.

XIV. Atenim adverſus hanc verificationem noſtram ſat manifeſtam contradicentes excipiunt, *ejusmodi Anni formam in Exitu demum Iſraëlitarum à DEO inſtitutam fuiſſe*, ante Populi Iſraëlitici ex Ægypto eductionem in uſu planè non fuiſſe, ſed initium Anni Menſiumque in Autumno hæſiſſe: Indeque *duplicem Iſraëlitis Annum* aſſcribunt, unum *Antiquiorem* & non tàm Politicum quàm Naturalem, *ab Æquinoctio Autumnali* ſeu Menſe Tiſri vel Ethanim cum Creatione Mundi incipientem; alterumque *Recentiorem* & Eccleſiaſticum, adeoque veriùs Politicum, in Politia Judaica, ex mandato divino, ob ſervandam perpetuò Exitus Ægyptiaci, inchoatæque ita Reip. Iſraëlitarum, potentiſſimâ DEI manu è ſervitute miſſorum, memoriam, ipſo Exodi tempore receptum, atque *ab Æquinoctio Vernali* ſeu Menſe Niſan vel Abib initia ſua ſumentem. **Adverſariorum Objectio.**

XV. Quam ſuam Exceptionem ij probant. 1. Ex clariſſimo Dei, formam iſtam Anni primùm introducentis, mandato: *Hic Menſis* (quo videlicet Paſcha celebrabitis, & ex Ægypto egrediemini) *erit vobis primus, & ab hoc Menſes Anni numerabitis.* Si enim Anni principium ab Abib Menſe priùs fluxiſſet, non opus fuiſſet illa præcipere: Dumque *Erit & Numerabitis* mandans dicit, anteà ſanè non fuiſſe innuit. 2. Ex duobus Dictis Moſaicis, quæ ante Exodum factam Annum ab Autumno cœpiſſe evincant: Unum, *Obſervabis quoque Solennitatem collectionis* בְּצֵאת הַשָּׁנָה ſeu in exitu Anni, *quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*; alterúq;, *Celebrabis Feſtum Collectionis* תְּקוּפַת הַשָּׁנָה hoc eſt, *in revolutione Anni.* 3. Ex *Joſephi* teſtimonio, ita de Iſraëlitico Anno ſcriptitantis: *Moſes autem Niſan, qui eſt* (Macedonibus) *Xanthicus, primum Menſem in Faſtis ſuis ordinavit, quòd in eo Hebræos ex Ægypto eduxiſſet; eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: Alioqui quod ad nundinationem rerum venalium reliquamq; diſpenſationem attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.* 4. Ex veteris Bibliorum *Paraphraſtæ Chaldaici* ſuffragio, qui ſuper Locum Salomonicum addit, *Menſem Ethanim, qui ſeptimus ibi appellatur, antiquitus ante Exodum dictum fuiſſe primum*: atque ſic manifeſtè ſatis duplicem Anni formam Hebræis uſitatam innuit.

Objectionis quadruplex probatio. *Exodi 12, 2.* *Exodi 23, 16.* *Exodi 34, 22.* *Lib. I. Antiqu. Jud. c. 4.* *1. Reg. 8, 2.*

XVI. Sed reſponſio ad objecta iſta ſingula eſt expedita, quam

 deſu-

defugere minimè vel volumus vel debemus. Penitùs namq; *tùm ante Exitum Ægyptiacum, Annum Patriarchis* (in Ægypto enim Ægyptiisquè ipſis uſitatum fuiſſe libenter concedimus, quod etiam Paraphraſtes Chaldaicus ſolùm intendere videtur) *ab Autumno unquam numeratum eſſe, tùm poſt Exitum Judæis duplex illius modi Anni principium in uſu vel ſemel fuiſſe, negamus*, illudq; totum meram eſſe opinionem, ex Locis Biblicis allegatis, minus dextrè acceptis, a Parte Adverſativa pro Sententiæ ſuæ ſtabilimento contortam, aſſeveramus.

Objectionis remotio.

Et ejus quidem probatio prima refellitur.

1. Per Senſus genuini inveſtigationem.

XVII. Proindeq; ad primum Probationis membrum reſpondemus, Verba illa Dei Moſisq; ulteriùs, quàm poſſunt ac debent, urgeri. Nam 1. Non per omnia ad Textus Originalis ſenſum ea ſive in vulgata Latina ſive in Germanica Verſione ſunt translata, quæ in Hebræo ſic habent: הַחֹדֶשׁ הַזֶּה לָכֶם רֹאשׁ חֳדָשִׁים רִאשׁוֹן ה הוּא לָכֶם לְחָדְשֵׁי הַשָּׁנָה hoc eſt, ſi Latinè & verè debeant exponi, *Menſis iſte* (in quo jam verſamini) *vobis principium Menſium, primus ipſe vobis Menſium Anni.* Atque ſic non ſunt verba novum aliquid inſtituentis & primùm introducentis, quippè cùm Vocabula illa imperantia, *Eſto* vel *Erit* & *Numerabitis*, planè non adſint: Sed tantùm priſtinum dudumq; obſervatum ritum ſtabilientis ac de novo inculcantis, etiamq; atq; etiam Iſraëlitas hortantis, ut firmiter retineant ac diligenter animadvertant hoc ſuum Exodi ex Ægypto tempus, Paſchatis Feſtiq; Azymorum ritè celebrandi gratia. Quem ſenſum facilè præbet ſubauditum Verbum Subſtantivum, & quidem in Præſenti, *Eſt*, ejusq; deinde vicem ex Sermonis Hebræi Proprietate explens *Pronomen* הוא *Ipſe*. Cujusmodi Confirmandi & Inculcandi Formulæ per reliquum poſteà Pentateuchum ſæpiùs recurrunt.

2. Per conceſſionem & declarationem.

XVIII. 2. Sunt etiam Verba repetentis, & ab introducta vitioſa conſuetudine ad verum uſum revocantis: Ideoq; ex abundanti admittamus ſanè ac retineamus Translationes Vulgatas per Voculas *Erit* ac *Numerabitis*, & concedamus etiam, eſſe Verba quippiam immutantis ac ordinantis: Nihil tamen exinde contra nos obtinebitur, ſiquidem Deus iisdem nequaquam talem Anni formam, quæ anteà nunquam eſſet obſervata, ſancire & introducere, ſed veterem tantùm Patriarchalem, & pridem ex Conſuetudinis ab Ægyptiis acceptæ vitio intermiſſam reducere, meliusq; ac firmiùs obſervandam proponere voluit. Cùm enim *Ægyptiorum Sacerdotes* opinarentur,

tur, ſicut Ægyptus Annis ſingulis cum ſuo Fluvio fieri experiretur, ita in primo Mundi Natali cum Aquis univerſis fuiſſe factum, videlicet ut poſtquam terra, quæ à principio aquis obducta fuerat, arida apparuiſſet, multiformis in eadem facta fuerit rerum generatio: Occaſione inundantis Nili Ægyptii etiam Annum ſuum inchoare voluerunt vel à Menſe Æſtivo ſecundo, uti ex *Solino* in *Theſi* III. citatum; vel quod *Joſephus* refert, & ferè confirmat *Julius Firmicus*, circa Æquinoctii Autumnalis Tempus, quo Nilus intra fluenta ſua ſe reciperet, agriq; nudati ac inundatione Nili fœcundati denuò coli poſſent. Huic rationi quoniam Iſraëlitæ ob ſuam cum Ægyptiis neceſſariam converſationem, eandemq; prorſus in agris ſuis Nili eluvionem, jam à morte Patriarcharum 12. ad 150. circiter Annos aſſueverant, vetere ſuâ penitùs obliteratâ: Ideò neceſſe fuit illos per Mandatum hoc ſingulare divinum ab Ægyptiaca vitioſa ad juſtam & Naturalem Anni formam retrahi & alligari.

Joſ. lib. I. Ant. Jud. cap. 4. Firm. lib. VIII cap. 3.

XIX. Hinc 3. Manifeſtum, quòd licet hæc ipſa Anni ratio in memoriam pariter liberationis ex Ægypto miraculoſæ, inchoatæq; Reip. Judaicæ peculiaris, ſit repetita & ſtabilita, quod *Textus Moſaicus* expreſsè innuit: Minimè tamen impediat, quò minùs eadem Anni forma exactè cum ipſa Mundi conditi πήξει ſeu Natali præcisè coincidere valeat. Etenim veriſimile magis eſt, DEum ideò Reip. Iſraëliticæ principium ad Æquinoctium Vernum referre voluiſſe, quoniam illud ſimpliciſſimum erat & Naturale Anni exordium; quam propterea ordinâſſe, ut Menſis Abib numeraretur primus, quia Populum ſuum in eo liberaverat, ejusq; Remp. aliter conſtituere cœperat: Alias enim proculdubio in aliud adhuc Anni Tempus Eductionem illam ex Ægypto prorogaturus fuiſſet.

3. Per inverſionem.

XX. Ad ſecundum Probationis membrum, ut replicationem quidem & explicationem illam, quam *Lydyatus* tradit, hoc loco non attingamus; dicimus, reſtrictionem & interpretationem duorum Vocabulorum *Exitus & Revolutionis Anni* ſat dilucidam in Textu ipſo eſſe appoſitam; Videlicet quòd tunc temporis plerique agrorum fructus domum reportati ſint, & pauciſſimis tantùm quibusdam per Annum reliquum reſtantibus (quales non tantùm in illis Locis Judææ fuerunt, ſed ubiq; inveniuntur; quorum tamen collectio, cùm nec ſit copioſa, nec magno labore indigeat, nec ſemel dunta-

Tract. de Var. Ann. formis p. m. 16. ſeqq. Probatio ſecunda diſcutitur.

rat annuatim inſtituatur, ſed aliquoties repetatur, magnoperè ac ſpecialiter reputari non ſolet: Ut proinde ex iis à *Calviſio* jure objici nil queat) collectio frugum nobilior & operoſior finiatur, atque ratione hâc Annus exeat: Eaq; ipſa collectio, cùm ſingulis Annis eodem tempore conſtantiſſimè recurrat, illi ipſi tempori venuſtiſſimam *Revolutionis Anni* denominationem, in poſteriore imprimis Dicto, conciliavit.

P.m. 137, 1. ſ. Iſagog.

Significationis Tekupha uſitatæ ulterior demonſtratio.

XXI. Atque hæc ipſa Vocabuli תְּקוּפָה acceptio *nec nobis Germanis aliisvè Populis eſt ignota*, quibus familiariſſimum, ut tempus à principio factæ cujuſpiam rei uſque ad finem, à Natali uſq; iterum ad Natalem elapſum, imò ipſum etiam eiusdem temporis terminum, *ſub Revolutionis* nomine enuncient; unde & *Lutherus*, qui Locutiones Germanicas receptiſſimas & elegantiſſimas per Literas frequentiores hinc inde diligenter conquiſiviſſe dicitur, uti prius expoſuit den Außgang des Jahres / ita poſterius hoc ſimpliciter reddidit, wann das Jahr umb iſt oder außgehet / Anno videlicet toto à Meſſe una ad alteram revoluto: *Nec S. Literis inſueta*, quæ vocem eandem (ſeu ſpectes ipſum Radicale Verbum, ſeu Nomen inde formatum Heemanticum) aliquot etiam *paucorum Dierum*, qui tamen fini Anni nequaquam coincidunt, *decurſui* attribuunt. Quid? quòd nec ipſi *recentiores Judæi*, a quorum aliàs ſtatutis *Calviſius & Scaliger* ſæpiùs argumentari ſolent, Vocabulum *Tekupha* ita ſtrictè pro *fine* ſeu *Revolutione Anni* uſurpant, ſed iſtud nunc ad ſignificandum quemvis è 4. Anni Cardinibus tranſtulerunt, ita ut habeant hodiè *Tekupham Niſan* ſeu Vernalem, *Tekupham Tamuz* ſeu Æſtivam, *Tekupham Tiſri* ſeu Autumnalem, & *Tekupham Tebeth* ſeu Hiemalem; cùm tamen Anni principium a Menſe Tiſri unicè deducant? Atqui ſi Tekupha ſemper Revolutionem finemq; Anni denotat, quadruplex hodiè Anni, cumq; ipſo Mundi etiam creati, principium erit: Quod abſurdum.

Aſpiciatur Gloſſa ejusdem Marginalis ad *Exodi* 23, 16. Videantur 1. *Sam.* 1, 20. & *Job.* 1, 5.

Probatio tertia & quarta infringitur.

XXII. *Joſephi* deniq; & *Paraphraſtis Chaldaici* Autoritatibus oppoſitis idem reponimus, quod *Calviſius* de Interpretibus LXX. & Rabbinis, ad quos ipſe etiam *Joſephus* pertinet, ſcribit: *Eos ſcilicet, ſicut alibi, ſic merito quoque ſuo in his, ſi aliquid præter Scripturæ S. ſenſum in Fontibus expreſſum tradant, ſuſpectos haberi.* Siquе *Joſephus*, ex ipſa *Calviſii* aſſertione, *in Antiquitatibus Gentis ſuæ inferioribus ac recentioribus, poſt tempora*

Pag. m. 143, 2. p. Iſag. Pag. 168, 2. m. Iſag.

pora Nebucadnezaris usq; ad Alexandrum Magnum, aliquoties errat vacillatq;: Num ejusdem in ſuperioribus & antiquioribus multò rebus, ubi Annales certi planè fuerunt nulli, conjecturis meris dubiisq;, contra manifeſta Scripturæ Oracula, ſimpliciter credendum erit? Id ſanè nemo unquam vel fecerit, vel faciendum ſuaſerit. Quin & *Chaldaicus Paraphraſtes* minimè eſt contra nos, ſed potiùs pro nobis, ut jam anteà in *Theſi XVI.* monitum fuit. Atque ſic ratio noſtra prima manet inconcuſſa, Judæos vi Dictorum ſuperiùs prolatorum, Annum ſuum ab exordio Veris derivâſſe, aliamq; Anni formam, niſi fortaſſis cùm in Ægypto commorarentur, penitùs ignoraſſe.

XXIII. Primæ verò iſti Rationi ſubjungimus nunc SECUNDAM, *à tempore facti Diluvii univerſalis deſumptam*. Eadem enim tempeſtate Anni, quâ Diluvium contigit, Mundum eſſe conditum, omnes unanimiter aſſerunt: Hoc verò Verno, & non Autumnali Tempore incidit: Ergò Mundum quoquè in Vere creatum eſſe patet. *Minorem* probamus, quia *I. Moſes*, qui Pentateuchi totius Scriptor eſt unicus, in Hiſtoria Diluvii (in qua tamen ipſa diligentem admodùm diſtinctamq; Menſium, primi, ſecundi, ſeptimi decimique, ac Dierum ipſis competentium, mentionem facit) nullibi, unde aſſignati iſti Menſes computandi ſint, exprimit: Proindeq; apertè ſatis innuit, ſe, *more Scriptoribus univerſis familiariſſimo*, de una & eadem perpetuò Anni forma per totum Pentateuchum ſcribere, unam eandemq; ubiq; formam etiam intellectam velle. Unde firmiſſimè concluditur, qualis Anni ratio Iſraëlitis ex Ægypto egredientibus fuit inculcata, ac *tempore ſcripti Pentateuchi* (dum ſcilicet in deſerto verſarentur) ſtrictè obſervata fuit; talem omninò, hoc eſt, ab initio Veris numeratam, *Diluvii quoque tempore* in uſu fuiſſe.

II. Diluvium Verno tempore factum.

Idq; deducitur

I. Ex Menſium Diluvii deſcriptione.

XXIV. Quòd autem hoc in loco rurſus nobis *Joſephum* objiciunt, ita de Diluvio proteſtantem: *Contigit vaſtitas Diluvii Menſe ſecundo, qui Dius à Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marcheſvan; Sic enim Ægyptii diſtinxerunt Annum*: Id verò vix quicquam obſtare nobis poteſt. Præter ea namque, quæ in XXII. *Theſi* de *Joſepho*, cujus alias, ſi Scripturæ ὁμόψηφος exiſtit, autoritas in Eccleſia meritò ſit magni, ſunt monitas rurſus hîc obſervationem quandam Traditionariam & Rabbinicam, ac præſumptionem potiùs periculoſam, quàm notationem

Lib. I. Ant. Jud. c. 4.

Objectio.

Solutio.

ſructuoſam, pro vera & authentica Scriptura nobis obtrudi, mox apparebit. Quorſum enim Moſes, ſcribens Popularibus ſuis, quos jam peculiari Dei mandato à calculo Ægyptiaco ad Naturalem optimumque ipſe revocaverat, abſque omni differentiæ mentione injecta, calculum Ægyptiorum potiùs, quàm Populi ſui, ſecutus eſſet? Annon eâdem facilitate, quâ Menſium, ubique à Vernali Æquinoctio numeratorum, primi *Exodi 40, 2.* ſecundi *Numer. 1, 18.* tertii *Exodi 19, 1.* quinti *Numer. 33, 38.* ſeptimi *Levit. 16, 29.* & undecimi *Deuteron. 1, 3.* mentionem fecit, in Hiſtoria quoque Diluvii pro *primo, ſecundo, ſeptimo decimoque Menſe Ægyptiaco, ſeptimum, octavum, primum, quartumque Iſraëliticum*, nominare potuiſſet? Falſum igitur, quod *Joſephus* hîc Scripturam, quæ tamen diligentiùs attendenti ſeipſam facilè explicat, interpretaturus notavit, Diluvium in Menſem Ægyptiacum ſecundum incidiſſe.

Exodi 12, 2.

XXV. Nec profectò, quod ulteriùs *ex eodem Joſephi loco* Pars adverſativa concludit, ſequitur: *Cùm Ægyptii principium Annorum ſuorum in Autumno habuerint, idem propterea initium Anni Patriarchis etiam primævis in uſu fuiſſe*, atque ita Naturale exiſtere, Mundique creati Epochæ coincidere. Quamvis enim aliqui ex *Joſephô contra Appionem*, & *Euſebio* afferant, *Alexandrum Polyhiſtora teſtatum, Annos ab Autumno numerandi rationem Abrahamum Patriarcham, ab Enocho per manus traditam, ex Chaldæa attuliſſe, & Ægyptios docuiſſe*: Id verò conjectura rurſus eſt, quæ probari vix unquam poterit. Equidem Aſtronomiam, adeoque & Annorum ritè diſtribuendorum ac numerandorum ſcientiam, quæ illius quædam quaſi eſt filia, ab Abrahamo communicatam eſſe Ægyptiis, ipſi libentiſſimè concedimus, maximeque ſemper urgemus: At Annorum ab Autumno deductionem Abrahamum in Ægyptum introduxiſſe, hoc eſt, quod inficiamur. Sua namque Superſtitione potiùs ducti Ægyptii tale principium Anni elegerunt, quàm à Patriarchis propoſitum acceperunt. Quin imò ſi accepiſſent; ob odium certè, quo gentem poſtea Iſraëliticam, uti *cum Scriptura Joſephus plurimis in locis* clariſſimè ſcribit, proſecuti fuerunt plus quam Vatiniano, tam diu illud ſollicitèque in Iſraëlitarum gloriam nequaquam obſervaſſent, ſed tanquam ineptum & abominabile dudùm rejeciſſent: Sicut aliâs frontis ita projectæ fuerunt, ut, referente *Pomponio Melâ*, vetuſtiſſimos ſeſe hominum gloriarentur, dumque fuiſſent, quater

Inſtantia peculiaris removetur.

Euſeb. L. IX. Præp. Evang. ſ. 4.

In Libris contra Appion.

Lib. 1, Geogr. pag. m. 61.

curſus

curſus ſuos (quos ex Abrahami Doctrina nondum ſemel abſolutos noverant) vertiſſe Sidera, ac Solem bis jam occidiſſe, unde nunc oritur, nugarentur.

XXVI. 2. Tempus Vernum ita eſt comparatum, ut Diluvio magis quadret quam Autumnale. Nam primùm etſi non illibenter *Calviſio* demus, res naturales plurimas ad efficiendum aliqua (non omni) ex parte Diluvium à DEO fuiſſe adhibitas: Modus tamen illarum applicatarum actuſque ipſe Diluvii totus fuit ſupernaturalis, ac ſolâ ſupernaturali DEI omnipotentiâ confectus. Sicut igitur ex *comparatione Domini ac Salvatoris noſtri, Filius hominis venturus eſt illâ Horâ, quâ nemo putabit: Ita quoq; factum eſt in diebus Noachi*; Venit Diluvium eo tempore, quo venturum Noacho prædicenti nemo credere volebat, h. e. contrà quàm *Calviſius* opinatur, tempeſtate Anni alieniſſimâ maximeque contrariâ, quâ formoſiſſimus erat Annus, & increduli comedentes, bibentes ac nubentes tale nil metuebant: Ac proinde ſecundo Menſe Vernali, non Autumnali illud contigiſſe oportet. Deinde *Calviſius* ipſe contra Sententiam noſtram ita pugnat: *Siccandæ*, inquit, *Terræ & prohibendis pluviis æſtivum Tempus opportunius eſt quàm hiemale.* Accipimus utrâque manu hanc Propoſitionem, & concludimus: Terra, cùm jam aquis nudata eſſet, verbis expreſſis *à prima Die Menſis primi usq; ad 27. mam ſecundi exiccata & areſacta* dicitur: Ergo Menſis primus ac ſecundus Diluvii immiſſi & finiti, non fuerunt Hiemales vel Autumnales, ſed Æſtivi ſeu Verni. Reliquam, quæ à paſtu, egredientibus animalibus poſt finitum Diluvium neceſſario, qui nequaquam aut ſaltem non tam abundè ſecundo Menſe Autumnali (quem *Calviſius* quoad vìm quaſi Hiemalem dictitat) quàm in ſecundo Menſe Vernali colligi potuit, peti poſſet, confirmationem volentes prætermittimus, de ea in conflictu fortaſſis diſquiſituri.

2. Ex Temporis, quo Diluvium contigit, qualitate.

Matt. 24, 44. Luca 17, 26.

Pag. m. 138, 1. m. Iſag.

Gen. 8, 13, 14.

XXVII. TERTIAM Sententiæ noſtræ Rationem depromimus *ex ipſa Mundi conditi tempeſtate, ab Amanuenſe Divino Moſe ita deſcripta*, ut non poſſit non illa Tempori Verno concurrere. Nam 1. Terrâ in ipſo Veris principio à frigore hiemali apertâ, & quaſi gravidatâ, jamque parturiente, omnis generis germina ſuaviſſima enaſcuntur, arbores ſingulæ fructus ſibi convenientes oſtentare incipiunt, ac primo quoque tempore maturare anxiè pergunt, viteſque cum primis floribus ipſas etiam uvas, maturiores mox futuras, nobis conſpiciendas

III. Deſcriptio temporis Mundi conditi Veri congruit. Quod probatur.

1. Ex rebus naſcentibus.

endas ſollicitæ præbent: Horum verò omnium nil Autumnali ſpectatur vel obſervatur tempore, quo contraria tantùm ſunt vera, omniaque à frigore ſenſim appropinquante marceſcunt ac pereunt.

Gen. 1, 11. 12. 29. *Gen. 2, 8. 9.* *Gen. 3, 7.*

Quis igitur eò acclinet, ut primâ creati Mundi tempeſtate, quâ terra herbam virentem ſemenque facientem, ac ligna frugifera, ſemen ſuum in ſemetipſis habentia, germinâſſe dicitur, arbores Paradiſi plantatæ, eque ficuum foliis Perizomata conſuta leguntur, Autumnum potiùs quàm Ver fuiſſe contendere aveat?

Demonſtratio ex ipſis contrariantium verbis derivata.

XXVIII. Fatetur *Origanus* ipſe, *ordinem Naturæ ſemel à* DEO *inſtitutum, nunquam durante hâc Mundi machinâ mutari*. Benè. Quis autem eſt Ordo hic Naturæ? An ut Autumno, vel Autumni ſaltem principio, quando Sol o ♎ ingreditur, terra quotannis germinet; ſegetes matureſcant, fructus arborum creſcant, imò maturi in arboribus adhuc hæreant? Nequaquam: Quippe cùm ante Solis in o ♎ ingreſſum, meſſis graminis frumentique omnis dudum ſemper ſit abſoluta, & fructus ex arboribus jam tùm collecti habeantur; quam ob cauſam etiam circa Æquinoctium Autumnale Feſtum collectionis

Exodi 23, 16. & alibi.

frugum celebrari juſſit Dominus. Quomodo igitur id, ex vi rationis ab *Origano* poſitæ, initiali Mundi Tempore fieri potuit? Aut ſi maximè detur, ea omnia vi omnipotentis Verbi Divini tùm temporis fuiſſe producta: Illa tamen poſt Hexaëmerum abſolutum ſtatim colligi oportebat, niſi ſponte ſua decidiſſe, temereque perditi primi omnium Terræ fructus dici debeant; quod quidem abſurdum, cùm fructus ſatis diu ac tenaciter in arboribus pependiſſe referantur, ſicut etiam pulchritudine & ſuavitate ſuâ ad tangendum veſcendumque allexerint.

Pag. 138, 2. m. Iſag. Abſurdi intentati declinatio.

XXIX. Nec abſurdum, quod *Calviſius* profert, ullo jure contra nos extrui poteſt, quòd videlicet *fructus arborum vitiumq;, qui Autumno ſaltem matureſcunt, Tempore Verno maturi* jam fuiſſe ſtatuantur. Id enim neque Scriptura ſimpliciter dicit, neque nos promiſcuè aſſerimus, neque ut aſſeramus, manifeſta ulla urget neceſſitas. Plurimos certè fructus, tàm de arboribus quàm de ſegetibus, in Locis *Ægypti*

Conferantur *Pag. 137, 1 f. & pag. 147. Iſag. Levit. 23, 10. ſeqq.*

& Palæſtinæ, ipſo Menſe Abib ita maturos fuiſſe, ut cogente neceſſitate decerpi colligique ſat commodè potuerint, *Calviſius* ipſe diffiteri nullatenus valet; imò ipſe ex *Levitico & Joſepho* rectè affirmat, *falcem durante primo adhuc Menſe fuiſſe miſſam in meſſem, & hanc poſt 7. Hebdomadas*

ſeu

ſeu Menſe tertio penè totam confectam: Qui verò fructus in ipſo creationis momento maturi non extiterunt, ita tamen comparati fuerunt, ut quoad ſpeciem ſuam ſemenque ſibi inſitum, in quantitate notabili dijudicari ac palpari manifeſtè, viſique poſtea à DEO ita approbari potuerint; eâ ferè formâ, quâ apud nos circa principium Æſtatis Solisque in ♋ introitum, & paulò etiam ſerius conſpiciuntur. Omnia namque in Locis illis multò maturiora, quam apud nos exiſtere, ſanorum nemo negare potis.

XXX. 2. Protoplaſti noſtri, poſt commiſſum ſtatim lapſum, memorantur audiviſſe vocem Domini DEI, deambulantis in horto, לְרוּחַ הַיּוֹם *ad ſpiritum, ventum ſeu auroram diei.* Ubi quamvis Theologorum nonnulli *flatum venti*, Dominum venientem præcedentis, ipſa die clarâ factum intelligant; quod equidem contra Fidei analogiam non eſt: Hunc tamen ſenſum Phraſis iſta, *ad ventum diei*, vix admittit; ſiquidem ventum hunc talem eſſe oportet, ut non ſubitò concitetur ceu vagus & inordinatus, ſed æquabiliſſimè ipſum Diei Tempus conveniens plerunque comitetur. *Doctores* igitur *Hebræi auram* exponunt *veſpertinam*, cum occumbente Sole aura concitatur lenior, æſtum diurnum mitigans ac refrigerans: *Paraphraſis Onkelos Chaldaica* reddidit, *Sub requiem diei*, da die Sonne zur ruhe gieng: *Lutherus*, da der tag kühle worden war: LXX. τὸ δειλινὸν *occiduum ſive crepuſculum* ſunt interpretati. Jam neminem facile reperiri puto, qui dicere ſeu ſoleat ſeu audeat, poſt Æquinoctium Autumnale diei æſtum remittere vel mitigari, cùm nimiùm aliàs ipſa quoque Meridie ſit remiſſus. Scripturam verò de Diebus Autumnalibus primis ita inuſitatè loqui putabimus? Quin potiùs eandem *de Diebus Vernalibus conſimilem per omnia Phraſin* uſurpâſſe, in *Cantico* legimus. Sic nimirum hâc etiam ſuâ notatione Scriptura indicare voluit, Mundi principium Verno, non Autumnali Tempori congruere.

2. Ex intenſo æſtu.
Gen. 3, 8.
L. Oſiand. ſuper hunc Loc.
Cant. 2, 17.

XXXI. QUARTAM nobis Rationem ſuppeditat *ipſa Natura*, in qua Siderum ille curſus, qui Verbo Divino ſemel eſt inchoatus, certâ conſtantique ratione perenniter continuatur. Hunc *à certo convenientiq́ʒ ſibi principio procedere* Deum, qui, teſte *Sapiente*, omnia in menſura, numero pondereque diſpoſuit, voluiſſe & ordinâſſe, quis rationis compos negaverit? Quodnam ergò illud in cœlo aſſerendum veriſimilius erit? Num ſeptimum potiùs ſignum ♎, uti fert ſententia hodiè à pleriſque recepta? An verò *primum illud Zodiaci omniumq́ʒ in cœlo*

IV. *Initium* cœleſtium Motuum in Signo Vernali ab omnibus ſigitur.
Sapient, 11, 21.

Aſteriſmorum, ex tacito communiq́ omnium conſenſu, ♈ *Signum?* Poſterius profectò affirmandum videtur: Siquidem nullam aliam evidentiorem ob cauſam hoc ipſum ♈ Signum, quod Sol Verno Æquinoctio intrat (non ullum aliud) primum conſtitutum cenſeri poteſt, quam potiſſimam hanc, *ut Mundus eo tempore conditus indicaretur, ſignoq́ in cœlo manifeſto perpetua in memoria conſervaretur.* Quod ipſum tùm vulgari profitemur verſiculo: *Zodiaci caput eſt Aries, & Veris, & Anni*; tùm teſtatur *Lucretius Lib.V. Ajunt,* inquit, *quidam, incipiente die illo, qui primus omnium luxit, i. e. quo in hunc fulgorem cœlum & Elementa purgata ſunt, qui ideò Mundi Natalis jure vocitatur, Arietem in medio cœlo fuiſſe: Et quia medium cœlum quaſi Mundi vertex eſt, Arietem propterea primum inter omnes habitum, qui ut Mundi caput exordio lucis apparuit.* Hujuſmodi namque Aſteriſmorum diſtributionem ac ordinationem temerè in cœlum introductam eſſe, eruditorum & intelligentium nemo facilè dixerit: Quin potiùs, quod & Generoſus *Dn. Tycho* agnovit, & *Joſephus* Hiſtoricus aſſtruit, vetuſtiſſimam illam aſſerimus, & à Patriarchis Sanctiſſimis (præſertim quoad ordinem) profectam, Ægyptiis communicatam, inde ad Græcos derivatam, qui poſteà pleraque Regum ſuorum antiquiſſimorum Fabulis involverunt, & appellationibus prioribus neglectis ac rejectis, novas pro ſuo lubitu ſubſtituerunt.

Tycho Progymn. Tom. I. p. 156. Joſ. Lib. I. Ant. Iud. c. 9

V. Scriptura ipſa Annos à Vere computat.

Ex. 12, 40. 41. 1. Reg. 6, 1. Galat. 3, 17.

XXXII. Evidentiſſimam ac firmiſſimam Rationem, in cœpto nunc ordine QUINTAM, *ipſa* nobis referat demonſtratque *Scriptura in duobus Locis Claſſicis*, ubi memorantur Filii Iſraël in Ægypto habitâſſe 430. Annis, quorum παρεπήγυμα ἀφ' ȣ̃ monſtratur ab *Apoſtolo Paulo* Tempus Promiſſionis Abrahamo datæ: Et rurſus Anno ab egreſſione Filiorum Iſraël de terra Ægypti (quæ Die 14. Menſis primi eſt facta) tanquam termino à quo, 480. ſecundo Menſe Siv, Templum Salomonis fundatum ſcribitur. Jam cùm in Scriptura, præcipuè verò *in Pentateucho & ante Regum Iſraëliticorum inthroniſationem, Annos ſemper integrè completos intelligi,* & eos quidem *in Geneſi* atque *ante Iſraëliticam Exodum* a conditu Mundi continuè numerari, nemo dubitet, ſed cum *Scaligero Calviſioq́* Chronologi omnes unanimiter affirment; ſicut etiam Anni 480. ab Exitu ad Templi fundationem, a Paſchate uno ad alterum Paſcha, numerati, præcisè prorſus, 15. ſaltem Diebus ſuperabundantibus, completi apparent: Sequitur, in Exodi determinatione multò magis Annos integrè completos adhibitos eſſe; ac proinde ſi juxta Paulum Apoſtolum Anni 480. ab Exitu ad Promiſſio-

miſſionem Abrahamo factam retrò numerentur integri, illam neceſſariò eodem, quo Populus Iſraëliticus exiit, Tempore, h. e. Vernali editam eſſe, atque ſic Mundi etiam creationem in Veris principium incidiſſe.

XXXIII. Aut enim Anni à principio Mundi creati uſque ad Abrahamum numerati, aut iſti commorationis in Ægypto 430. Anni, dicendi ſunt non præcisè completi. Prius veritatem Chronologicam deſtruit, poſterius fidem Scripturæ tollit: Relinquitur ergò, utroſque completos exiſtere, & eadem Anni tempeſtate, qua Mundus productus fuit, h. e. in Vere, Abrahamum promiſſionem accepiſſe, Iſraëlitaſque de Ægypto exiiſſe. Quod poſterius ex ipſa Eductionis Hiſtoria faciliimè roboratur, cùm expreſsè legatur additum: *Quibus* (430. Annis) *expletis, eâdem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini.* Atque ita Anni iſti completi ſic fuerunt, ut ne dies quidem de numero illorum defecerit. Concluſio poſita ſtabilitur.

XXXIV. Unde jam patet cauſa, cur (quod in *Theſi XIX.* dubitatum fuit) Deus eductionem Populi ſui in Tempus Vernum conjicere, nec iſtam vel citiùs vel ſeriùs inſtituere voluerit, atque hoc ipſum poſteà diligentiſſimè ſemper obſervari mandaverit. Illud videlicet ſuberat, ut quem alias ubique omnia in *plenitudine temporis* exhibentem Scriptura deprædicat, Deus idem hoc quoque Eductionis opere ſuam in promittendo conſtantiam ac veritatem, ſervando lubentiam ac facilitatem, implendo ſapientiam ac poteſtatem luculentiſſimè oſtentaret, ordinemque temporis, in Natura ſemel à ſe inſtituti, pulcherrimè obſervaret. Quàm ergò fremeret Rex Ægypti Pharao, Populumque Iſraëliticum in ſervitute diutiùs retinere molimine omni laboraret: Deus tamen, *conſilio maximus, operibus potentiſſimus,* liberationem illius Populi ſui admirandam eo momento eodemq; Anni tempore, quo Mundum olim ex nihilo produxerat, quoq; dudùm, imò ante ipſa etiam Mundi primordia, ſecum conſtituerat, & ante 4. jam Secula Abrahamo condixerat, glorioſiſſimè perfecit. Ex dictis obſervatio peculiaris extruitur. *Ecclef.* 3, 11. *Galat.* 4, 4. *Jerem.* 32, 19.

XXXV. His Rationibus quinq; ordine hactenus à nobis propoſitis, atq; ſufficienter deductis, SEXTO jam loco accedit *Conſenſus Sententiæ noſtræ cum antiquiſſima & orthodoxa Eccleſiæ Doctrina* eximius. Nimirum *iſtâ Anni tempeſtate*, quâ per lapſum noſtrorum, eheu! Protoplaſtorum *mors in Mundum eſt introducta*, & damnatio ſuper omnes derivata; *eâdem* per mortem CHRISTI acerbiſſimam *Salus fuit reſtau-* VI. Conſentit nobis receptiſſima Eccleſiæ Doctrina.

rata; *Eodem* Verno Tempore *Columba à Noacho emiſſa*, virentis olivæ ramum attulit; *Eodem Promiſſio* eductionis fuit Abrahamo *data*, *& reverâ etiam completa*: *Eodem Tabernaculum à Moſe erectum*, *eodem Templum à Salomone fundatum, eodem illud quoque reædificatum* fuit: Et quæ plura memorari poſſent alia. Quibus omnibus contrarium aſſerere maniſeſtè coguntur illi, qui Mundum in Autumno creatum eſſe contendunt: Ideoq; non tantùm ex prioribus noſtris Rationibus, ſed etiam hoc ipſo ex fundamẽto ſuſpecti meritò habẽtur; præſertim cùm etiam fulcris, quæ pro ſtabilienda ſua opinione, præter Exceptiones ſupra diſcuſſas ulteriùs congerere ſoleant, non ſatis firmis nitantur.

Exodi 40, 17. 1. Reg. 6, 1. Eſdr. 3, 8.

XXXVI. Quod enim *principio de Sabbathicis Annis* afferunt, qui ex divina inſtitutione ab Æquinoctio Autumnali inchoabantur: *horum videlicet initium cum Mundi principio idem eſſe oportere*, ne ſi Creatio in Æquinoctio Verno peracta ſtatueretur, ſemẽſtre ſpatium ſupereſſet, quod ad Sabbathicos Annos non pertineret. Ejus verò *Conſequentiam planè negamus*. Nam eadem ratione argumentari cuipiam hodiè liceret: Anni apud nos Eccleſiaſtici à Feria Adventus prima inchoantur: Neceſſe itaq; eſt, Calendas Januarias, à quibus Annos hodiè noſtros (non aliter atq; tùm Mundi conditi Anni obſervabantur) eosq; Julianos, (ob Conſtitutionem imprimis à Julio Cæſare acceptam) numeramus, cum iſta Adventus prima coincidere, ne quatuor Septimanæ in Anno Juliano ſuperſint, qui ad Eccleſiaſticum Annum non pertineant: Quod tamen nemo admittet.

Objectio I.

Solutio, Tùm per Inſtantiam,

XXXVII. Nos potiùs eandem de Sabbathicis Annis Objectionem, pro ipſa Sententia noſtra verificanda rectiſſimè adhibemus. Quia namq; Deus pro liberrima ſua voluntate & infinitæ Sapientiæ profunditate, Numerum *Septenarium*, in ipſam Creationis peractæ memoriam, *Sabbatho ſeu quieti* conſecraverat: Ideò non tantùm in toto Anni Naturalis, hoc eſt, a Mundi conditi momento continuè numerati, circuitu, *Die* ſemper *ſeptimo* Sabbathum, & toto ferè *Menſe ſeptimo* Feſtivitatem quoque ac quietem quaſi meram (ut primo ejusdem Die, *Clangentium tubarum*; decimo Die, *Expiationum*; 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, Diebus, *Tabernaculorum*) eſſe voluit, ſed etiam *quovis Anno Naturali ſeptimo*, & ratione ſingulari *ſepties ſeptimo*, ab ipſo ſeptimo Anni Menſe Sabbathiſmum Terræ concedendum ordinavit. *Quæcunq; igitur* *Anni forma Septenario huic Sacro & quieti divinitùs ordinata, non ſaltem in Diebus, verùm etiam in Menſe, quem DEus ſingulariter requiſivit,*

Tùm per inverſionem,

Videantur capita, 23. Levitici & 29. Numerorum.

ſivit, ſeſe accommodat; ea extra controverſiam erit Naturalis: Talis verò eſt noſtra Vernalis, & non aliorum Autumnalis: Ergò.

XXXVIII. Neque aliquid hîc obſtat, quòd *Annus hujusmodi Sabbathicus ita reverâ ex duobus Annis Naturalibus*, Hebdomadis videlicet Annuariæ ſeptimo ac primo, ſeu Anno ſeptimo & octavo, *fiat compoſitus: cùm tamen totus ille in S. Literis ſeptimus ſubinde denominetur.* Nam præterquàm quòd 1. Hoc nequaquam inuſitatum, ut Annus aliquis, verbi gratia, *pueri cujusdam nati, Imperii incepti, Domus emptæ vel collocatæ*, & ſimilium eventuum, quamvis in duos civiles ſe extendens, primus, ſecundus, tertius, &c. nuncupetur; Dicimus 2. Denominationem talem fieri a priore ac potiore Ann. Sabbathici parte, quæ in Annum ſeptimum Naturalem incidebat, quâque debitorum remiſſio, ſervorum manumiſſio, & laborum agriculturæ intermiſſio fiebat; cùm Anno octavo, *in* quem reliqua pars Sabbathici Anni procurreret, iſta omnia repeterentur. 3. Ejusmodi Sabbathici Anni in duorum Annorum Naturalium contextum diſtributionem ſapientiſſimè a Deo inſtitutam eſſe, ut videlicet ſicut Sabbathiſmus Terræ propriè incepit Anno Naturali ſeptimo, & ejus quidem ſeptimo Menſe, in cujus parte maxima continuum quaſi erat Sabbathum: ita proventus Terræ, durante illo Sabbathiſmo ſponte enatus potiſſimùm pertineret ad Annum Naturalem octavum, hoc eſt, ipſum Septimanæ primum, utpote cujus primitiæ Deo erant conſecratæ, ac proinde neutiquam dominorum propriæ vel in horrea comportandæ, ſed dominis cum ſervis, divitibus cum egenis, ipſisq; etiam, ſi quid ab illis relinqueretur, jumentis communes. 4. Hinc videri etiam nobis, quòd *convenientiſſima petatur ſolutio nodi alias difficilimi, quânam ratione DEus ſepties ſubinde ſeptenis Annis Jubileum celebrari, & 50. tamen Annum tanquam Jubileum ſanctificari jubeat?* Nimirum Menſe Anni Naturalis 49. adhuc currentis ſeptimo buccinis indicebatur atq; inchoabatur, ac demùm Anni Naturalis 50. Menſe ſeptimo finiebatur, ſimiliq; cum Sabbathicis Annis ratione in duos Naturales, 49. ac 50., reſolvebatur.

Tùm per diſficultatis omnis ſublationem.

Conferantur hic diligenter *verſiculi 20.21.22.cap. 25. Levitici.*

Levit.25,8.10.

XXXIX. Quod *deinde ex Diei Naturalis Partium*, Noctis ac Diei, *analogia* ad Anni totius Partes principales, Hiemem atque Æſtatem, Argumentum extruunt; id equidem probatam ac demonſtratam rem convenientisſimè illuſtraret, dubiam verò adhuc idoneisq; ac ſufficientibus firmamentis deſtitutam probare quî poteſt? Accipiamus

Objectio II.

mus tamen Analogiam iſtam nobis oſtenſam, eamq; noſtræ potiùs quàm alteri Sententiæ convenire oſtendamus, hoc modo: *Quocunq; ordine Scriptura ipſa partes Diei Anniq; principales numerat, eo etiam proculdubio in ipſa Natura illæ ſe habent: Scriptura dicit, Dies & Nox, Æſtas & Hiems*; non verò Nox & Dies, Hiems & Æſtas, ut ait *Calviſius*: Ergò ita ſecundùm Naturam ſe excipient, ac proinde Dies Naturæ quoq; ordine prior exiſtet Nocte, Æſtas Hieme, itaq; Tempus primum à Vere cœpit. Minor patet paſsim in tota Scriptura, uti cuivis cognoſcere licet. Nec diverſum dicitur in ipſo creationis veſtibulo, quando *Dies Naturales ex veſpere & mane facti* memorantur. Hîc enim non ipſam Noctem & Diem, ſed Terminos tantùm ſeu fines illarum nominari, nemo non cernit. Cùm itaq; Diem Veſpera ſeu Crepuſculum, Noctem Mane vel Aurora finiat; manifeſtum eſt, & in his ipſis locutionibus Diem Nocti præpoſitam eſſe. Reliquas objectiones ad ipſam συζήτησιν reſervamus.

Conferantur imprimis Loca Geneſ. 8, 22. Pſal. 74, 17. Zach. 14, 8.

Atq; ſic ſatis verificatum eſto Paradoxum noſtrum prius:
Quod propoſitum erat.

PARADOXUM II.

Abraham 130. demùm, non 70. Ætatis Tharæ Anno, in lucem eſt editus.

I.

Calculus Chronologicus exactior ab ipſo quaſi Deo commendatus.

QUòd DEus, Temporis idem & Autor & Conſervator unicus, Supputationes Annorum Chronologicas diligentiâ eâ, quæ pio ac liberali ſolertiq; ingenio ſit digniſsima, inſtituere nobis nullo modo ſive invideat ſive prohibeat, ſed ipſe potiùs illas ſingulariter promotas cupiat, imò manuductionem quaſi quandam ad illas utiliſſimam præbeat, exinde lucidiſſimè apparet, quia per Servum ſuum fideliſſimum, MOSEN, tàm ſollicitè ſeriem Annorum ſingulorum in *vitis Patriarcharum ſingulorum* annotari curavit: Quod profectò fruſtra feciſſe non potuit.

Ei concinnando maximè inſervit Annus Abrahami Natalis.

II. Horum igitur juſtæ veræq; indagationi ac enarrationi ordine pertexendæ, ut Patriarcharum, Abrahamo priorum ſive majorum omnium, Anni Natales totæq; Ætates, exquiſitiſſimè à Moſe conſignatæ, adjumentum præcipuum afferunt; Ita quoque eadem porrò continuari ritè non poteſt *absq; certa illius Anni, quo verè Abrahamus,*

mus, Pater ille credentium, *Mundum hunc corruptibilem oculis ſuis mortalibus aſpexerit, notitia*, quippè ex quo poſtmodùm reliqua tota ipſius Ætas dependet, ejùsque imprimis Annus 75. (quo ex urbe Haran in Cananæam migravit, quiq; poſtmodùm Temporis Exodi Iſraëliticæ præciſi index fit infallibilis) determinandus venit.] Is verò ipſe *Annus Abrahami Natalis verus*, vel præcipuus eſt ex illorum numero, de quibus inter Theologos Chronologosq; non tantùm *recentiores à Beroaldo* uſque, *quem primum de Anno Abrahami Natali ſciſcere auſum Scaliger dictitat*, ſed *antiquiores* etiam ac ſeculis ante Beroaldum pluribus, ipſo *Auguſtini* tempore citiusq; , maximè controvertitur. *In Elen. p. 47.*

III. Nam cùm *Scriptura initiò* verbis expreſſis *Tharam Anno Ætatis 70. Abrahamum, Nachora & Haranum generáſſe* aſſerat; *poſteaq; Tharam Anno Ætatis ſuæ 205. mortuum, & Abrahamum, poſt mortem Tharæ parentis ex Haran in Canaan proficiſcentem, Annorum 75. fuiſſe*, apertè itidem dicat: Alterutrum horum neceſſariò ſequitur, *aut Abrahamum Anno 70. Tharæ genitum eſſe*, quod in Textu Moſaico dici videtur; & *Tharam Annos ſaltem 145. vixiſſe*, quod contra Scripturam: *aut Tharam ipſos 205. Annos compleviſſe*, quod Scriptura manifeſtè habet; *& Abrahamum Anno 130. Tharæ natum eſſe*, quod in Scriptura quidem expreſsè non dicitur, at ex verbis Scripturæ facilè ſequitur. De quo dubium exoritur, *Geneſ. 11, 26. 27, 32. Gen. 12, 4. Actor. 7, 2.3.4.*

IV. Atque hinc eſt, quòd *in Chronologicis Scrupulus Annorum 60. ſolidorum emergit*, ſanè haud levis, ſed ferè indiſſolubilis. Ex quo quidem ipſo quomodo Autores varii variè ſeſe extricare allaboraverint, ſigillatim nunc percenſere propoſiti noſtri non eſt: Fecerunt id jam antea alii, & inter eos nominatim *David Pareus*, Theologus inter Calvinianos non poſtremus, qui ſolutiones ſpeciales ſex diſtinctas, primam nempè *Hieronymi*, Fabulis Judæorum ſuperſtructam; quadruplicem *Auguſtini*; ultimamq; *Pererii Jeſuitæ ac Genebrardi*, ordine enumerat, earumq; ſingulas pro judicio ſuo competenter examinat. Quod variat peperit Opiniones. *Comment. in Gen. cap. 11. Auguſt. Quæſt in Gen. 25. Pererius Com. in Gen. Lib. XVI. pag. 549. Genebr. in Chronol. Lib. I. pag. 37.*

V. Hoc ſolùm obſervatum cupimus, quòd duæ de illis omnibus ſint opiniones maximè probabiles, quarum alterutram Scriptores hodiè, cùm Sacri tùm Profani, univerſi rigidè ſectantur, ſuis quiq; rationibus ducti. *Quidam enim Locis Moſaicis freti*, Abrahamum Anno Tharæ 70. progmatum, & Parentem vivum Anno Ætatis ſuæ 145. in Haran ab ipſo derelictum volunt; quæ (ordine illo, quo *Pareus* propoſuit) *prima eſt opinio Auguſtini*, quam ſequuntur Chronologi hodiè quiq; eminentiſsimi, imprimis *Scaliger ille Joſephus*, *Calviſius*, atq; *Origanus*, E quibus duæ ſunt celebres.

ganus, unà cum B. noſtro Luthero : *Quidam verò veſtigiis à D. Stephano monſtratis inſiſtentes*, nec Verbis Moſaicis ita nudè inhærentes, Abrahamū, Parente demùm Anno Ætatis 205. mortuo, ex Haran in Canaan deſcendiſſe, ideóq; Anno Tharæ 130. demùm genitum eſſe dicunt; quæ *Auguſtini eſt Opinio quarta*, quam plerique Patrum & Theologorum amplectuntur, ut *Theodoretus, Lyra, Cajetanus*, & interpretes alii eruditi non pauci, quam etiam approbavit *Polycarpus Lyſerus in Abrahamo*, & *Pareus* quoque defendit.

Lyſ. ſuper cap. 11. & 12. Geneſ. pag. 7.

VI. Etſi verò *Sententia prior*, Abrahamum Anno Tharæ 70. natum eſſe, ut modò dictum, inter Chronologos ſummos ita *nunc paſſim invaluerit*, ut Scriptura quoque ipſa Annum alium convenientiorem admittere non videatur, ac poſterior Sententia tota abſurda Scripturæque S. παράδοξος quorundam judicio cenſeatur: Tamen quia *Sententia iſta poſterior fundamentis ſuis firmiſſimis nequaquam deſtituitur*, ſed tàm Scripturâ nititur, quàm ab objectionibus adverſantium contrariis facilimè ſalvatur; ideò eam vice hac tanquam παράδοξόν τι aſſumere, ac ſolius divinæ atque in profundo ſemper latentis veritatis planiùs ac pleniùs cognoſcendæ ſtudio, paucis ſimiliter propugnare & ventilare placet. Quam quidem *primùm* ſequentibus duobus *documentis, ex Scriptura S. petitis*, verificare de facili poſſumus.

Sententia poſterior à nobis approbatur, triplici de cauſa.
I. Ob Dicta Scripturæ manifeſta; Tùm Moſaica,

VII. I. Succurrunt nobis *evidentia Scripturæ S.* & quidem *Moſaicæ, Oracula*, quæ vel negari vel per Sophiſma eludi minimè valent. Moſes enim, qui ex ipſa *Calviſii* aſſertione unicus eſt Hiſtoricus, per quem Deus Meſſiæ Genealogiam & Annos a Mundo condito uſque ad occupatam Terram Canaan elapſos, Eccleſiæ revelavit, *expreſſè quidem dicit, Tharam ſeptuagenarium* cœpiſſe generare, & *generâſſe Abramum, Nachora, & Haranum*; interim tamen, ſicut ſuperiùs in Hiſtoria Noachi, enumeratione filiorum trium, Semi, Chami & Japheti, Semem primogenitum non aſſeveravit: Conſimili hîc ratione (velut in XV. *Theſi* pluribus demonſtrabitur) Abrahamum nequaquam primogenitum fuiſſe innuit, quoniam poſtea ſtatim *ſubnectit, fuiſſe dies Tharæ 205. Annos, mortuumq; eſſe Tharam in Haran*; ac tandem etiam *addit, Abrahamum, cùm de Haran egrederetur, 75. Annorum fuiſſe.*

Pag. 141, 2. ſ. Iſagog.

Gen. 11, 26, 27.
Gen. 6, 32. & c. 7, 10. & c. 9, 18.

Gen. 11, 32. & c. 12, 4.

VIII. Ex qua Moſaica Narratione *Demonſtratio* firmiſſima extruitur hujuſmodi: *Si Abraham poſt mortem Parentis Tharæ, quando ex Haran in Canaan profectus eſt, 75. fuit Annorum; ſequitur, eundem Annis totidem, h.e. 75. ante Obitum Tharæ genitum eſſe*; Sed prius citra omnem exceptionem verum,

Quibus propoſitum ſoliſſimè confirmatur;

verum, quippè quod Moſes apertè aſſerit; Itaq; & poſterius, ac proinde ſubtractis his 75. Annis ex Tharæ Ætate 205. Annorum, relinquuntur 130. Annus videlicet Natalis Abrahami verus & concupitus.

Tùm etiam Apoſtolicũ.

IX. II. Demonſtrationi huic, ex Verbis Moſaicis clariſſimis contextæ, *confirmationem* ſingularem maximeque perſpicuam addit teſtis Evangelicæ veritatis ſanctiſſimus, ac N. T. Protomartyr glorioſiſſimus, D. *Stephanus*, in ſua coram Patribus Synedrii Hieroſolymitani univerſis inſtituta Diſſertatione, ita proloquens: *Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahamo, cùm eſſet in Meſopotamia, priusquam moraretur in Haran, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Tunc exiit de Terra Chaldæorum, & habitavit in Haran: Et inde, poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in Terram iſtam, in qua nunc vos habitatis.* Unde irrefragabiliter mox conſequitur, calculum Ætatis Abrahami, non aliter atque in *Theſi præcedente*, *ordine* videlicet *retrogrado*, rectiſſimè inſtitui, ſic ut 75. illi Anni, quot habuit Abrahamus, cùm poſt obitum patris ſui Tharæ ex Haran evocaretur, de Annis Tharæ 205. minuantur, Annuſque Natalis Abrahami in 130. Tharæ incidens ultrò relinquatur. Actor. 7, 2. 3. 4.

II. Ob *Incommoda* ex Sententia priore provenientia. 1. Contradictio Scripturæ aſſeritur.

X. Huic ſententiæ noſtræ fulcris ſolidiſſimis nunc munitæ, *loco ſecundo* robur non exiguum conciliant, *Incommoda plurima*, *Sententiam contrariam immediatè ſubſequentia*. Nam iſta Sententia 1. Ipſis D. *Stephani*, Spiritu S. repleti, verbis, adeoque expreſſo *Spiritus S.* oraculo ac toti *Lucæ* Scripto, quod in Eccleſia ſemper Canonicum & Authenticum habitum fuit, plurimùm derogat, imò è diametro repugnat. *Stephanus* namq; Abrahamum Thara mortuo, ex Haran migraſſe apertè dicit: Adverſativa noſtra eundem ante obitum Tharæ in Cananæam deſcendiſſe ſtatuit. Utri jam magis credendum? Num incertæ conjecturæ, an potiùs indubiæ Scripturæ?

Exceptio.

XI. Nec quicquam incommoditatem illam excuſare potis Exceptio, quam contrariantes afferunt: *Stephani verba cum grano ſalis eſſe accipienda*, cùm ipſe non Tempora ſupputare, vel ſupputationem à Moſe inſtitutam emendare, ſibi propoſuerit; ſed *obiter tantùm*, atque ad communem LXX. interpretum vel veterum Rabbinorum opinionem de antiquarum ejuſmodi Hiſtoriarum circumſtantiis perorare voluerit. Quod probant ex eo, quoniam in eadem Diſſertatione *Stephanus* dicit 1. *Animas 75. cum Jacobo in Ægyptum eſſe translatas*, quas Moſes 79. duntaxat fuiſſe non ſolùm binis in Locis affirmat, ſed & ſigillatim Act. 7, 14.

enu-

Gen.46,27. enumerando confirmat. 2. *Iſraëlitas in Ægypto commoratos eſſe per 400.*
Exodi 1,5. *Annos*, cùm in aliis Scripturæ Locis dicantur fuiſſe 430. Anni. 3. *Deum*
Act.7,6. *apparuiſſe Abrahamo in Meſopotamia, priusquàm moraretur in Haran*; cùm
Exodi 12,40. Haran Meſopotamiæ ſit Urbs, & apparitio ſecundùm Moſen in Ur
Galat.3,17. Chaldæorum facta.
Act.7,2.

Ex Geneſ. 28. & 29. XII. Regerimus enim 1. Eos profectò ipſos, qui ejuſmodi de *D. Stephano* ſentiunt vel effutiunt, non modicò ſalis grano indigere videri. *Stephanus* Spiritu S. à *Luca* repletus aſſeritur: Quomodo ergò vel *Moſi* contradicere, vel ab eodem diſſentire, vel dubiæ veritatis exiſtere valet? Aut num *Spiritus S.* qui per *Moſen* pariter & *Stephanum* locutus eſt, ſibi ipſi contradicit? Certè ſi unus Scripturæ Authenticæ Locus, Canonicum alium manifeſtè impugnare demonſtretur, tota Scripturæ Sacratiſſimæ autoritas infallibilis Cacodoxis quibuſcunquè à nobis ipſis temerè ſuſpecta reddetur. Abſit ergò, ut qui Chriſtiani veri ſalutari cupimus, talia in Scripti Canonici ullius annihilationem aſſeramus: Potius Loco, in ſpeciem fortaſſis cuipiam non ſatis attento inter ſe pugnare viſa, dextrè conciliare ſtudeamus; quemadmodum in *Theſi IX. Moſen Stephanumq; optimè convenire* ad oculum comprobavimus. 2. Cur *Stephanus* 75. animas in Ægyptum deſcendiſſe aſſerat, alibi locorum deciditur: Nos breviter nunc dicimus, Numerum verum Moſaicum 70. & à *Stephano* enarratum, & à *Luca* ex Hebræo notatum, *Librariorum* verò incuriâ & inſcitiâ depravatum eſſe. 3. Si *Stephanus* 400. Manſionis Iſraëliticæ Annos determinando, *Moſi Apoſtoloq; Paulo* contradicit: Contradicet quoque ſibi ipſi *Moſes*, qui aliis in locis 400. Annis Hebræos in Ægypto habitaturos, & generatione quartâ in Canaan reverſuros affirmat. Chronologi diſtinguere noverunt inter Numeros rotundatos & accuratos. 4. *Meſopotamiam dupliciter in Scripturis uſurpari*: Specialiſſimè & ſtrictè pro peculiari Tractu, Chaldææ contiguo, ut in *Libro Geneſeos* ſemper accipitur; & generaliùs ſeu latiùs pro tota Regione, duobus Fluviis Euphrate & Tigri intercepta: atque ſic pro Chaldæa etiam, quam intra ſuos amplexus ceu partem habet, à Geographis, nonnunquam ponitur, quemadmodum & *in aliis Scripturæ Locis*, exceptâ Geneſi, pleriſque ſumi conſuevit.

Exceptionis dilutio ſufficiens.
Actor.6,5.10. & c.7,55.
2.Petri 1,21.

Videatur D. *Arcularius ſuper cap. 7. Act. pag. m. 259.*
Gen.15,13,16.

2. Certitudo Chronologica everſa.

XIII. 2. Veritatem Chronologicam inſigniter labefactat, dum Annos 66. ſolidos, qui Abrahami Nativitatem adhuc præcedere debent, ex ipſo vero Annorum Mundi Catalogo deperdit. Nam etſi

B. no-

B. noſter Lutherus 60. iſtos Annos, quos ſibi hîc intercidere conqueritur, *ſingulari* DEI *conſilio amitti* putet, ne videlicet Tempus finiendi Seculi temerariâ ingenii humani curioſitate inveſtigetur: Id tamen huc parùm facit, quoniam ſi DEus Annos ætatis Mundi exactè ſciri noluiſſet, fortaſſis nec Annum unicum conſignari curâſſet; quin imò Dies extremus occultus nobis omninò manet, etiamſi 60. Anni non intercidant, omnesq; Anni à creati Mundi principio elapſi exactiſſimè numerati habeantur.

Comment. in Geneſ. Tom. II. pag. 22.

XIV. 3. Abſurda hæc craſſa involvit, quòd nimirùm ex deductione *Lyræ, Haran octennis Saram genuerit*, ſiquidem Sara, quæ unanimi ferè omnium conſenſu Harani, qui ex Adverſativæ Hypotheſi, minor fuit Abrahami frater, filia cenſetur, 10. duntaxat Annis Abrahamo extitit junior: Quòd *Thara 60. adhuc Annos integros poſt Abrahami diſceſſum in Haran vixerit*, & 136. demùm Abrahami Anno, Annis ante nuptias Iſaaci 5. mortuus fuerit; cùm tamen Spiritus S. nuſpiam ampliùs, tunc etiam quādo Nachoris in Urbe Haran familiam commemorat, mentionem ipſius faciat: Quòd *Abrahamus multo tempore ante Semum, Salah, & alios etiam ferè Patres, mortuus ſit*; quod admodùm videtur inconcinnum: Et quæ aliæ plures ex Sententia contrariante emergunt difficultates, quas lubentes nunc præterimus.

3. Abſurda plura inſinuantur.

XV. *Tandem* quoque Sententiæ noſtræ ſtabilimentum haud infirmum conferunt ipſæ *Contradicentium objectiones*, *admodùm infirmæ* negotioq; nullo ſolubiles. Dum enim I. Expreſſum Textum Moſaicum nobis *obtendunt*, *Thara 70. erat Annorum, genuitq; Abram*; proq; hoc addunt, *nunquam aliter in Scripturæ filios numerari, quàm ut quemq; Natura in lucem ediderat*: Reponimus 1. Inſtantiam: *Tharæ ſeptuagenarius genuit Abram, Nachor & Haran*: *Ergò omnes tres uno & eodem tempore ſunt nati*, quippè cùm idem de omnibus tribus æqualiter prædicetur. Quod quia abſurdum, verba ſimpliciter, uti hoc in loco ſunt poſita, non erunt accipienda, ſed ex aliis locis Parallelis reſolvenda. 2. Negamus, Scripturam ſtrictè ſemper ſecundùm Naturæ ordinem filios enumerare; quin contrariam quandoq; ſeriem ab illa obſervari, facilè probatur. *Sem* è tribus Noachi filiis, non duobus tantùm in locis, ſed ubiq; ferè *nominatur primus*, & *primogenitus tamen non fuit*, ut alibi deduci ſolet ac poteſt: *Iſmaël primogenitus* fuit Abrahami, & *Iſaaco* tamen duobus in locis Biblicis *poſtponitur*. 3. Decidimus ex

III. Ob Argumēta Sententiæ prioris infirma, quorum 1. Petitur ex apertis verbis Moſaicis.

Gen. 25, 9. & 1. Paral. 1, 28.

Augu-

Auguſtino: Dicuntur & nominantur filii hi omnes loco primo, *non nativitatis prioritate, ſed excellentiæ merito* ſeu ordinis dignitate.

2. Ex Moſis ſcopo, XVI. Dum II. *Objiciunt: Minimè conſentaneum eſſe, quòd Moſes, qui diſtinctu quinq; in locis diverſorum ætatis Abrahami Annorum meminit,* imò Patriarcharum Poſt-diluvianorum omnium Annos atquè ætates Abrahami tantùm cauſa conſignavit, *Annum ejusdem Natalem,* & ſcitu quidem maximè neceſſarium, *in dubio relinquere voluerit. Reſpondemus* concedimusq; ipſi, conſentaneum nequaquam eſſe. De ipſa enim Anni Natalis conſignatione ſat manifeſta, nemo eſt, qui dubitet: At de modo tantùm conſignationis controverſia nobis hodiè eſt, quam non in uno ſimpliciter Verſiculo propoſitam, ſed in plures diſtinctos verſiculos prudenter diſtributam eſſe profitemur. Nec ſanè ſequitur: Quâ ratione Patriarcharum Poſt-diluvianorum univerſorum ætates Moſes expreſſit, eâdem etiam, hoc eſt, ſimplici nudâq;, Abrahami Natalem indicavit. Uti namq; ſimile prorſus de Semo objicere poſſemus: Ita nodum objectum facilè ſolvimus, quoniam ubi Patriarchæ ſinguli de ſingulis progeniti fuerunt, ibi ſingulorum quoque Anni Natales nudè ac diſtinctè annotari potuerunt; pluribus verò ab uno filiis generatis, generationis tantùm tempus initiale fuit conſignandum, & præpoſiti ſunt illi, qui ad Meſſiæ naſcituri Lineam pertinebant, quamvis ordine nativitatis poſtremi minimiq; eſſent.

3. A concomitante quodam abſurdo. XVII. Dum III. *Arguunt: Nachor* Abrahami avus, *Anno ætatis* 145. *mortuus eſt, ipſeq; Abrahamus pro miraculo reputat, ex centenario ſe Saraq; nonagenaria filium naſciturum: Non eſt igitur verisimile, Abrahamum Anno Thara* 130. *genitum eſſe.* Dicimus 1. Multi Senes, grandævi ſatis, ex uxoribus ſuis quandoq; etiam decennio vel propiùs adhuc ante obitum filios ſuſceperunt: Quomodo ergò mors Nachoris accelerata, tardiori Abrahami generationi obſtabit? 2. Miraculum iſtud de filio ſibi centenario naſcituro, Abrahamus æſtimat *non quoad ſe,* quippè cùm jam anteà Anno ætatis 86. Iſmaëlem ex Hagare ancilla generâſſet, ac poſteà etiam in Senecta ſera, Annos jam 137. & ultra habens, ex Ketura liberos plurimos genuerit; *ſed* unicè *quoad nonagenariam Saram,* ex qua tanquam ſterili nullam adhuc ſobolem ſuſceperat. Reliquæ Objectiones leviores, quæ plures afferri ſolent, tempori locoq; alii compendiori, vel ipſi etiam Συζητήσει placidæ reſervantur.

Sic ergò patet etiam Paradoxum noſtrum poſterius;

Quod demonſtrandum erat.

SOLI DEO SIT GLORIA.